





1774 3<sup>a</sup>  
DE  
VERO SENSU

L. 3. §. 14. D.

DE ACQ. VEL AMITT. POSSESSIONE 16

SVB PRAESIDIO

DANIELIS NETTELBLADT

POT. BOR. REGI A CONS. INTIM.


ET PROF. IVRIS ORDINARIJ

DIE DECEMBR. MDCCLXXIV

DISPVTABIT

FRIDERICVS SAMVEL ZORN

SILESIVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE

STANNO GRVNERTIANO.



DE  
VERO SENSV

DE ACC. VEL AMIT. POSSESSIONE

AD PRÆSIDIUM

DANIELIS NITTELI ADT


DIE 15 FEBRUARII MDCCCLXXIV

EMERICHVS SAMUEL FORN

HABES NITTELI ADT

LEBENS GEBURTSTAG





DISPUTATIO IVRIDICA.

DE

VERO SENSU

L. 3. §. 14. D.

DE ACQUIRENDA VEL AMITTENDA  
POSSESSIONE.

CAPVT I.

DE VERA L. 3. §. 14. D. DE ACQUIRENDA VEL AMIT-  
TENDA POSSESSIONE LECTIONE.

§. I.

*De vera textus explicandi lectione in genere.*

**V**erba l. 3. §. 14. D. De acq. l. amitt. possessione, secundum vulgarem  
huius textus lectionem haec sunt:

PAVLVS Lib. 54. ad Edictum

*Item feras bestias, quas viuariis incluserimus, & pisces, quos in  
piscinas coniecerimus, a nobis possideri. Sed eos pisces qui in  
stagno*

A

3

stagnis sunt, aut feras, quae in siluis circumseptis vagantur, a nobis non possideri: quoniam relictæ sunt in libertate naturali. Alioquin etiam si quis siluam emerit, videri cum omnes feras possidere: quod falsum est.


Licet vero, si quid video, haec verba pisce saniora sint, Criticorum cruentatas manus effugere tamen non potuerunt. Sunt enim, quae est Criticorum audacia, qui duplici modo in ea saeuunt, vnde ante omnia vera textus lectio determinanda est, vt appareat an lectionem mutari necessitas exigat, et si hoc, an tunc de modestia constet. Facio enim cum CORNELIO VAN BYNCKERSHOEK, qui in Praefat. ad P. 1. *Obs. iur. Rom.* recte inquit: nullius ego emendationis unquam auctor sum, nisi & de necessitate & de modestia constet. Quorum verborum vterio-rem explicationem & determinationem, continent regulæ artis criticae legalis, quatenus versantur circa textuum iuris emendationem, in PERILL. DR. PRÆSIDIS *Præcognitiis Specialibus Iurisprudentiæ priuatae Rom. Germ. forensis* §. 34. obuiæ.

§. II.

*De emendatione textus per insertionem particulae: NON ab aliis tentata.*

Sunt qui putant textus lectionem in commate: aut feras quae in siluis circumseptis vagantur, per insertionem particulae: NON, ita emendandam esse, vt potius legendum sit: aut feras quae in siluis NON circumseptis vagantur. Huius emendationis, vel potius corruptionis, auctor est, quantum mihi constat, HOTMANVS in *Obs. Lib. VIII. Obs. 7.* ex hac adiecta ratione: quemadmodum enim PAVLVVS piscetes qui in piscina inclusi sunt, iis opponit qui in stagno vagantur: sic feras quae viuariis, hoc est, inclusis saltibus coercentur, iis opponit quae in apertis & minime conclusis siluis vagantur. Et viuaria eodem sensu nominantur in l. 62. D. de *Vsufrectu*. Sed recte iam monuit WIELINGVS *Lect. iuris ciuilibus Lib. II. Cap. 4.* solam stagnorum vndique a natura conclusorum mentionem, a violenta crisi HOTMANVM reuocare debuisse, quoniam

quoniam cum iis siluae arte humana circumseptae a PAVLO comparantur. Vnde ratio ab HOTMANO adiecta potius contrarium probat, quam id quod per eam probare voluit. Amat etiam hanc emendationem GOTHOFREDVS in *notis ad hunc textum*, licet HOTMANVM non nominer, vel quod hanc eius emendationem ignorauerit, vel quod eum nominare noluerit. Inter reliquos alicuius nominis ICTOS hanc violentam crisin praesertim NOODTIVS *Obseru. Lib. II. Obs. n.* defendit, aliis, veluti WIELINGIO l. c. IAVCHIO in *Tr. de negationibus in Pandectis Florentinis* Cap. XIV. p. 210. eam reiicientibus. Vnicum argumentum alicuius momenti, quo insertio particulae: *non* defendi posset, eo redit, propter manifestam absurditatem non posse in dicto commate verba, vt iacent, retineri. Prout enim ferae bestiae, si viuariis inclusae sunt, a nobis possidentur: ita eas & tum possideri dicendum sit, si in siluis circumseptis vagantur, quum viuaria siluae vel alia loca circumsepta sint. Vnde NOODTIVS l. c. inquit: *piscinae nihil aliud sunt quam lacus & stagna clausa in quibus vini pisces pascuntur, & viuaria nihil aliud sunt quam septa, siue sint silvae circumseptae, siue alia circumsepta loca in quibus ferae viuuae pascuntur.* Qui itaque cum NOODTIO in ea haeresi est, viuaria et siluas circumseptas inter se non differre, ei non potest non absurdum videri PAVLVM affirmare, *feras bestias viuariis inclusas a nobis possideri, quae vero in siluis circumseptis vagantur a nobis non possideri.* At, quum falsissimum sit inter se non differre viuaria et siluam circumseptam, prout ex infra (§. XII. & XIX.) dicendis patebit, hic deest emendationis necessitas, quae tamen, quoties emendatio, prout haec, ex ingenio critici sit, adesse debet; praesertim tum si emendatio non modesta, sed violenta est, qualis in genere omnis emendatio est quae fit per insertionem particulae: *NON.* Per hoc artificium enim non nisi tum ex ingenio Critici sanandus textus, si causa desperata est, et recte BERTIVS in *ratione emendandi leges* Cap. I. §. 15. illud appellat omnium pessimum et diris execrandum, addens: *nihil enim est incertius, nihil audacius quam si quis omnibus locis, qui difficultate sunt intricati tali, cui soluendae impar est, nulla alia de causa quam propter ignorantiam suam, aut intrudere velit, aut expellere, dictionem non: quae stupendae est*



est efficaciae, atque unico momento producit sensum priori plane contrarium, sed ingenio interpretis accommodatum. Nihil manebit integrum, nihil inviolatum, nihilque poterit vocari amplius certum, si huic particulae detur grassandi licentia.

§. III.

De emendatione textus per immutationem vocis VAGANTVR  
in EVAGANTVR.

Aliam crisis experta sunt textus verba in eodem commate, quoad vocem: *vagantur*. WIELINGIUS enim in *Lectiōib. iuris civilis Lib. I. Cap. 4.* annotat in nota: in edit. *Vulg. Veneta, BAVDOZAE et aliis, legi evagantur*. Satis modesta quidem est emendatio, quae, prout haec emendatio, fit prouocando ad codices alios: ast tamen admittenda non est, si codices fide digni desunt, vnde nec haec emendatio, me iudice, defendi potest. In Florentinis et optimis manuscriptis enim vulgarem lectionem obuiam esse TAVRELLVS atque RVSSARDVS testantur. Nescio itaque quo iure pro vera lectione adsumi, et vulgari praeferrī possit lectio eorum codicum quos allegat WIELINGIUS l. c. qui nec ipse eam tanquam veram defendit. Praesertim de BAVDOZAE editione hoc dici nequit, secundum competentis hac de re iudicis, HENRICI BRENCMANNI in *historia Pandectarum Lib. III. Cap. 5.* sequens de ea iudicium: *Miscuit hic Florentinam et vulgatam lectionem, et nimiam diligens est in variis lectionibus vnde quaque corradendis, etiam quae nullius momenti s̄ vel mera typorum menda sunt. Has lectiones margini adleuit, praeter alias notas quas e superioribus editionibus liquido solet describere. Confundit item editiones, vnde lectiones adducit. Profecto maiore diligentia, quam iudicio, haec editio confecta est. Pleniore scriptura plerumque rector est visū BAVDOZAE: in aliis fere mediam viam insitit, verum aliquando satis infeliciter: passimque vacillat in eligenda scriptura. Est etiam obi utramque lectionem in contextum admittit. In eo tamen laudandus, quod vel minutissima diligenter et cum cura referat.*

§. IV.



§. IV.

*Nova emendatio proponitur.*

Praeter has emendationes ab aliis tentatas, nulla alia mihi obuenit. Licet itaque haec sufficere possent de vera textus lectione, coniecturam quandam eam concernentem tamen, vel binis verbis, adiicio. Quid si quis defenderet, in commate textus: in siluis circumseptis vagantur, eiciendum, vel saltem pro superfluo habendum, esse verbum: *circumseptis*, quod praesertim crucem figit interpretibus. Non solum enim ipse PAVLYS in sequentibus textus verbis siluae mentionem facit, sine adiecta hac determinatione: sed et per hanc eiectionem, statim tolli posset omnis difficultas quam habet huius textus interpretatio; ut taceam magis modestam esse emendationem quae sit verbum textus pro non scripto seu superfluo habendo, quam eam, quae per nouae vocis insertionem fit. Ast haec omnia me permouere nequeunt, ut hanc emendationem admittam. Firmiter enim insisto regulae artis critices DN. PRAESIDIS *l. c.* obuiaae, secundum quam emendatio non nisi tum admittenda est, si vel adsunt codices fide digni ex quibus defendi potest, vel tanta est textus obscuritas aut absurditas, ut sine emendatione sanus sensus erui nequeat. Nullum horum requisitorum vero hic adesse ex infra Cap. III. dicendis patebit.

CAPVT II.

DE SENSU LITTERALI L. 3. §. 14. D. DE ACQ.  
VEL AMITT. POSSESS.

§. V.

*Ad inscriptionem: PAVLYS Lib. 54. ad Edictum.*

**I**VLIVM PAVLYVM inter veteres ICTOS romanos, propter multa loca scriptorum suorum Pandectis inserta, praecipue notandum esse, constat inter omnes. Miror itaque huius ICTI biographiam perfectam nondum extare, cum scripta de eius vita a DN. PRAESIDE in *Initiis historiae litterariae iuridicae* §. 93. ed. sec. recensita, non nisi quaedam eorum, quae ad notitiam huius

ICti pertinent, contineant. Quod attinet multa eius scripta, praecipuum quoddam eorum sunt eius *Libri ad Edictum*, scilicet perpetuum, ex quorum Lib. 54. noster textus desumptus est, prout magnus aliorum textuum Digestorum numerus ex hoc fonte haustus est, quod ad specus collectorum fragmentorum ex his libris apud HOMMELIUM in *Palinogenesiae Tom. II. p. 10 -- 102.* docet. Quum vero praeter hunc amplissimum commentarium ad Edictum perpetuum, aliud edictale opus scripserit PAVLUM constet, nempe *Brevium seu Brevis edicti libros tres & viginti*, hi cum praedicto opere ex quo textus noster est desumptus, et ex quibus etiam quatuordecim fragmenta in Pandectis supersunt, non sunt confundendi. In quo vero differant inter se haec opera PAVLI facile definiri nequit. Aliorum hac de re opinionem recenset et refutat HEINECCIUS in *Historia edicti perpetui Opusc. posthum. Lib. II. Cap. I. §. 7.* suamque adiecit. Ast huic rei immorari nolo, cum nihil faciat ad nostri textus sensum eruendum. Caeterum licet hic textus sit desumptus ex PAVLI scriptis, is tamen tanta non laborat obscuritate & subtilitate, ut ideo cum FVLGOSIO ad *L. 17. D. de inoff. test.* bonum PAVLUM, si in manibus haberem, per capillos interrogare vellent. de vero eius sensu. Hic enim ad dictam legem notat: *audiuistis istum textum, & si bene intellexistis eum, legetis ter & quater & sonabit vobis: sic enim est mos PAVLI. Et si haberem eum in manibus, cum per capillos interrogarem. Iste maledictus PAVLVS semper ita obscure loquitur ut vix intelligi possit.*

## §. VI.

Ad verbum: ITEM.

Contextus verborum satis prodit verbum initiale nostri textus: *item*, indicare PAVLUM pergere NERVAE filii doctrinam explicare, dum particula: *item*, prout generatim, vel repetitionem, vel continuationem indicat quando praecedentibus noua oratione perfecta aliquid additur, vti recte iam monuerunt STRAVCHIVS de *particulis iuris* & RICHTERVS de *significatione adverbiorum*, vterque sub voce: *Item: ita* & hic continuationem indicat eorum quae PAVLVS ex NERVAE filii scriptis

scriptis referre in antecedentibus verbis cepit. Interim tamen PAVLVM in toto nostro textu ex mente NERVAE filii loqui, inde nondum sequitur, nec mihi probabile viderur. Ad quod scriptum NERVAE filii vero pertineant quae PAVLVS ex NERVA refert, inde definiiri potest, quod non nisi de vnicō NERVAE filii scripto constet, nimirum de eius *libris de vsucapionibus*, sicque PAVLVM ex hoc scripto haussisse, quae ex mente NERVAE refert, necesse sit. Dum enim ICTI romani prouocant ad NERVAM filium, veluti in *L. 2. §. ult. D. de his qui notantur infamia*; *L. ult. D. de manum. vind.*; *L. 21. §. 1. D. de acceptil.*; *L. 2. §. ult. D. de O. I. L. 1. §. 3. D. de postul.*; *L. 3. §. 8. D. de peculio*; *L. 13. §. 7. D. de vsufructu*, hoc, prout in nostro textu, nullo addito libro fieri solet. Vnicus PAPINIANVS in *L. 42. D. de acquir. vel amitt. possessione* in fine addit: *idque Nerua filius libris de vsucapionibus retulit*. Valde probabile itaque est NERVAM filium non nisi hos libros scripsisse, & ad eos prouocare ICTOS in dictis textibus. Non quidem me fugit PANCIROLLVM & BERTRANDVM plura NERVAE allegare scripta: ast haec figmenta esse, satis probauit IO. ABR. AHASVERVS in diss. priori sub praesidio HENRICI LAMPE Bremae 1748. habita: *de Marco Cocceio Nerua Romanorum Imperatore §. 9.*

§. VII.

*Ad verba: FERAS BESTIAS, PISCES.*

Haec verba indicant de quarum rerum possessione loquatur PAVLVS in nostro textu, nimirum, non de omnium animalium ferarum, sed tantum de ferarum bestiarum et piscium possessione. De auium possessione enim agit §. sequente. Ideo non dicit simpliciter *feras*, sed cum addito, *bestias*. Ridicula itaque est haec, ad verba textus: *feras bestias*, saltem in nonnullis corporis iuris glossati editionibus obuia glossa: *caue tamen ne fallaris putando ista duo: feras bestias, esse vt substantiuum & adiectiuum, sunt enim vnum & idem: quia appellatione bestiae comprehenduntur animalia fera & immansucta etc.*

§. VIII.

*Explicatio vocis: VIVARIIS.*

De viuariis Romanorum varia notatu digna, erudita magis quam pragmatica, congescit CRELLIVS in diff. *de iure viuariorum von Thier-Gärten* Vittenbergae 1740. defensa. Ast iam ante eum, si non maiori, saltem aequali, eruditionis apparatu de iis varia ex antiquitatibus annotavit CHRISTOPHORVS FESCHIVS in diff. Basileae a. 1638. *de re venatoria etique annexo iure* habita, & inserta Tomo nouo Diff. Basileensium, qui, post septem priores ex officina Genathii, a. 1653. ex officina Deckeriana prodiit. Nolo, nec repetere ab iis dicta, nec dictis aliquid addere: sed tantum quaedam annotare quae huius loci sunt de viuariorum notione & munitione. Quoad primum certissimum est, in sensu generali sub *viuariorum* nomine venire receptacula ferarum cuiuscunque generis, piscium etiam & auium, quibus ferae ita inclusae, vt inde elabi nequeant, et statim capi possint, sicque ita ad manus sint, vt, sunt verba COLVMELLAE, *quasi ex cella promi possunt*. Et si enim negari nequeat, & aliarum rerum, praeter feras, receptacula quibus inclusae, subinde apud scriptores sub viuariorum nomine venire, hic significatus tamen quam maxime improprius est, & plane recedit a vocis etymologia, secundum quam viuaria res se mouentes seu viuentes continere debent. In dicto significato generali itaque viuaria, auararia & piscinas tanquam species sub se comprehendunt. Hinc statim patet PAVLYM in textu nostro, quoniam piscinas a viuariis seiunxit, de viuariis in sensu stricto loquutum esse, in quo ad animalia fera, praeter pisces & aues, restringuntur, prout etiam iam obseruauit CRELLIVS *l.c. §. 3.* Quod attinet secundum, nimirum munitionem viuariorum, seu quibus mediis effecerint Romani, ne qua fera aufugiat, aut ne quis irrumpat, VARRO *de re rustica L. III. c. 3. & c. 15.* auctor est receptaculum alta niaceria clausum fuisse, vel, si res familiaris impendium dissuaderet, saepe & vacerris viuarium inclusum fuisse.

§. IX.

*Ad verbum: PISCINAS.*

De piscinis Romanorum hic non nisi hoc monendum habeo:

1) CRELLIVM & FESCHIVM ll. cc. de piscinis Romanorum varia annotasse hic non repetenda, & praesertim FESCHIVM *l.c. P. I. Th. VI. not. c.* multo eruditionis apparatu de piscinis Romanorum quas ad mare, infano quodam sumtu, extruebant, egisse. 2) WIELINGIVM in *Leß. iur. civ. Lib. I. C. 4.* recte defendere piscinam, vel de quocunque receptaculo, natura vel arte piscibus alendis apto, vel specialiter de loco eum in finem effosso accipi. At dum addit: *qui sensus posterior huius loci est, vellem eum, ex quo fundamento hoc defendi possit, adiecissem.* Saltem inde, quod PAVLVS piscinis contradistinguat stagna, hoc colligi nequit, si forsitan WIELINGIVS hoc in mente habuit.


§. X.

*Verborum: INCLUSERIMVS, CONIECERIMVS significatus grammaticus.*

Feras bestias in viuariis esse, triplici modo contingere potest. *Primum* est, si ferae quae in libertate naturali vagantur, capiuntur, tumque viuario includuntur. *Secundo* modo hoc contingere potest per foeturam, dum animalia viuario inclusa in eo partum edunt. Tandem *tertio* quoque possibile est feram bestiam sua sponte incidere, seu suo ingenio delabi, in viuarium. Primum & secundum per se patet: at quoad tertium TRIPHONINO<sup>9</sup> testimonium denuntio. Huc enim redit sensus verborum eius in *l. 62. §. 1. D. de usufructu*, dum ait: *sbimetipsae incidere delapsae fuerint.* Accedit idem etiam apud nos subinde fieri & sub nomine *des Einsprungs* venire, prout obseruat rei venatoriae peritissimus a FLEMMING *im teutschen Jäger P. II. pag. 303.* edit. de a. 1724. Quae quum ita sint, statim patet PAVLVM, dum dicit: *includerimus*, secundum sensum litteralem non nisi de primo modo quo fieri potest feram bestiam in viuario esse, loqui. Quod attinet pisces, eos piscinis inclusos esse, primo & secundo modo quidem fieri

B

posse,



posse, aut non tertio, per se patet. Dum itaque PAVLVS dicit, in piscinas coniecerimus, itidem de primo modo quo fieri potest pisces piscinis inclusos esse, secundum sensum litteralem intelligendum esse PAVLVM, dubio caret.

## §. XI.

Ad vocem: STAGNO.

Noto notius est quae sit secundum L. 1. §. 1. & 2. D. de fluminibus & L. vn. vt in flum. publ. differentia inter lacum, stagnum & fossam. In nostro textu PAVLVS distinguit tantum inter pisces in piscinis & in stagnis, eorum vero qui in lacu sunt nulla fit mentio. Licet vero sit quaedam differentia inter stagnum & lacum, PAVLVM tamen hic de stagno ita loquutum esse, vt lacum excludat, ne quidem probabile est. Sunt itaque hic pisces in stagno, qui sunt in receptaculo aquae ita munito, vt licet, prout in mari vel flumine, secundum suum instinctum naturalem libere circumuagari nequeant, tamen, vt loquar cum GAIO in L. 5. §. 1. D. de A. R. D. multa accidere possint, vt eos non capiamus. Vnde per ea quae de piscinis dicta sunt §. IX., facile patet differentiam esse inter pisces in piscina & in stagno. Priores sunt ita inclusi vt euagari nequeant & statim capi possint. Posteriores itidem euagari quidem nequeunt, dum & hi inclusi sunt: aut statim & pro lubitu capi non possunt, sed multa accidere possunt ne a nobis capiantur.

## §. XII.

SILVAE CIRCVMSEPTAE significatus grammaticus.

Prout PAVLVS quoad pisces, inter pisces in piscinis & in stagnis distinguit: ita similiter, quoad feras bestias, inter viuaria et siluam circumsseptam distinguit. Hic vero verba: siluam circumsseptam, anxios tenent interpretes, & variis modis explicari solent ab iis, dum iis crucem figit PAVLVM inter viuaria et siluas circumsseptas distinguere. Audiamus antea quid alii hac de re sentiant, tumque quid mihi videatur addam. CRELLIVS l. c. §. 9. monet PAVLVM hic non exiguam difficultatem obiecisse, cum ipsa viuaria sint silua quaedam circumscepta, qua

qua siluestres pecudes pascuntur. Non audet itaque definire in quo sensu PAVLVS hic silvas circumseptas viuariis contradistinguat. Hinc ait: *mibi videtur PAVLVM loqui vel de viuariis quae retibus duntaxat, non perpetui usus, sed praesentis venationis causa, a possessoribus clauduntur, vel de illis quae quidem muro septa sunt, aut sepibus munita, sed plura tamen iugera comprehendunt & per longius spatium excurrunt.* E. A. PAGENSTECHERS in Tr. sub titulo: *Novum iustitiae templum, sive Digestum novum* num. IX. monet, sub silua circumsepta PAVLVM hic intelligere siluam, quae terminorum suorum a vicino territorio discernendorum gratia suis distincta finibus, quippe quae satis commoda nihilominus adhuc ferarum in libertate sua naturali vagantium sedes esse possit. PERILL L. B. ab ICKSTATT in diff. *de eo quod iure naturali circa venationes iuris est* §. 91. in nota ei subiecta defendit, distinguendum hic esse quo animo siluam suam dominus cinxerit: an ut ne promiscuus in siluam aditus pateat, ne gramina conculcentur, ne ferae in fata & fruges grassentur: an autem ut feras silua conclusas dominio & potestati subiiceret siluae dominus. Indequae PAVLVM sic interpretatur: *Neu me omnia fallunt siluam circumseptam ex priori destinatione intellexit ICTUS, consequenter cuius dominus de feris suis faciendis ne cogitavit quidem; eoque intuitu viuarium a silua circumsepta cum cura discernit.* Huc etiam redeant quae in HENR. de COCCII Grotio illustrato notata & addita sunt Lib. 2. c. 8. §. 2. licet alii interpretes GROTTII, veluti ZIEGLERS, HENNIGES, OBRECHTVS in notis ad hunc locum GROTTII stagnum & siluam a piscina & viuario ita differre defendant, quod ex illis ferae elabi possint, ex his non item. Plerique DD. vero insistant vestigiis ACCVRSII, qui in glossa ad nostrum textum nodum fecit, distinguendo inter custodiam ferarum arctiorem & laxiorem, hincque viuaria a siluis circumseptis spatio distinguit, viuaria enim esse parui spatii, silvas circumseptas vero maioris. Hunc sequitur etiam GROTIUS *de iure belli & pacis* l. 2. c. 8. §. 2. eatenus, quod eandem differentiam inter siluam circumseptam & viuarium admitat, dum expressis verbis dicit: *nec alio haec differunt, quam quod altera angustior, altera laxior custodia sit, & ex hac adsumta hypothesis, quae*

secundum infra dicenda falsa est, refutat NERVAM filium & cum eo PAULVM. Quod nunc attinet meam de silua, quam PAVLVS appellat circumseptam siluam, sententiam, ante omnia notandum non nisi de sensu litterali vocis: *circumseptam*, hic agendum esse, quum in hoc disertationis capite tantum de eo sollicitus sim, vt determinem singulorum verborum textus, quae aliqua obscuritate laborant, sensum litteralem. Ast quis negabit siluam toties dici posse secundum litteram *siluam circumseptam*, quoties aliquid adest, quod impedit liberum egressum ex silua, et ingressum in eam, tam quoad homines, quam quoad animalia fera et non fera. Siluae circumseptae itaque, silua *undique peruisa* seu *aperta* opponenda est, & silua circumseptam, quoad feras quae in ea vagantur, vel ita circumseptam esse potest, vt, nisi forsitan casu fiat, ferae quae in ea sunt euagari nequeant, quam appellare liceat *siluam circumseptam primi generis*, vel non nisi ita, vt ferae quae in ea sunt euagari tamen possint, si earum instinctus naturalis eas ad euagandum determinat, quae mihi sub *siluae circumseptae secundi generis* nomine in sequentibus venit. Quodsi nunc silua viuarium est (§. VIII.), ea omnino in sensu litterali est species siluae circumseptae primi generis, ast vna tantum eius species, quum ad viuarium requiratur feras in ea pro lubitu capi posse (§. VIII.), id quod ad siluam circumseptam primi generis simpliciter non requiritur. Inde enim quod ferae, nisi forsitan casu fiat, ex silua euagari nequeant, nondum sequitur eas statim capi posse, dum, vt iterum loquar cum GAIO in L. §. 1. D. de A. R. D. multa tamen accidere possint, ne a nobis capiuntur. Vnde patet siluam circumseptam primi generis, vel viuarium esse, vel non. Haec sufficiant de sensu litterali siluae circumseptae, & licet secundum dicta generatim dicendum, siluam esse vel *apertam*, vel *circumseptam*, quae est, vel silua *circumseptam primi generis*, vel *secundi generis*, & prior, vel *viuarium*, vel *non*: quoad hanc tractationem tamen sufficit siluam circumseptam diuidi in talem quae viuarium est, & quae viuarium non est, sicque vel silua circumseptam primi generis praeter viuarium est, vel silua circumseptam secundi generis. Caeterum vera mens PAULI, quando in nostro textu loquitur de silua circumseptam infra (§. XIX.) determinanda erit.



## §. XIII.

*De sensu literali verborum: QVONIAM RELICTAE SVNT IN  
LIBERTATE NATVRALI.*

Libertatem naturalem de feris etiam praedicari, eamque PRO-  
CYLVM in L. 55. D. de acquir. rerum dom. appellare naturalem laxita-  
tem, constat. Porro in L. 3. §. 2. D. de acquir. rer. dom. libertati natu-  
rali ferarum, opponitur earum custodia, & in L. 44. D. eod. naturalis  
laxitas earum, potestati hominis in qua sunt. Me iudice itaque dicen-  
dum PAVLVM per feras bestias in libertate naturali relictas eas omnes  
intelligere, quae nondum captae sunt. Ad captas pertinent viuariis in-  
clusae, & quae alio modo in potestate & custodia nostra sunt. Ad non-  
dum captas, sicque quae relictas sunt in libertate naturali vero, referri  
debent eae ferae bestiae quae vagantur in silvis, vel vbique patentibus,  
vel circumseptis quidem aut talibus quae viuaria non sunt. Inde nec  
HYBERI Lib. IV. Cap. 17. Digressionum propositam sententiam, feras in  
silvis septo cinctis in eodem statu naturali esse, in quo primum in rerum  
natura esse ceperunt, & hoc esse quod PAVLVS ait: *relictas esse in li-  
bertate naturali*, meam facio: nec CRELIVS in diss. de iure viuariorum  
mihi satisfacit, dum scribit §. 9: *libertas haec naturalis est facultas libe-  
rius et per spatium laxius vagandi.*

## §. XIV.

*In quo sensu PAVLVS dicat a nobis POSSIDERI vel NON POSSI-  
DERI feras bestias & pisces.*

Egregia est disputatio GALVANI in Tr. de usufructu Cap. XXXIII.  
num. IV. sub quo sensu veniat in Tit. D. de acq. vel amitt. possessione pos-  
sessio. Defendit multis, dictum titulum non tantum ad possessionem cum  
affectu domini coniuictam, sed ad eam quoque, quae caret affectu do-  
minii, dummodo quis possideat sibi, non alteri, pertinere. Me iudice  
generatim dici nequit, non nisi de hac vel illa possessionis specie in dicto  
titulo sermonem esse, sed potius pro textuum sub eo contentorum diuer-  
sitate id definiendum est. Nostrum quod atinet textum, PAVLVM dum  
disputat

disputat, quando feras bestias vel pisces a nobis possideri, vel non possideri, dici possit, de possessione in eo sensu generali loqui, in quo quaelibet detentio, etiam non corporalis, sub possessionis nomine venit, ex verbis textus praecedentis apparet. Incipit enim PAVLVVS in §. 13. de rerum mobilium, excepto homine, possessione in genere disputare, & asserit, quatenus sub custodia nostra sunt, haecenus possideri, id est, quatenus, si velimus, naturalem possessionem nancisci possumus, tumque speciatim de nonnullarum specierum rerum mobilium, veluti in nostro textu, de ferarum bestiarum & piscium possessione docet, possideri a nobis si in vivariis vel piscinis sunt, non possideri vero si in stagno sunt, vel in silvis circumseptis vagantur.

## §. XV.

*Ad verba textus finalia:* ALIOQVIN ETIAM, SI QVIS SILVAM EMERIT, VIDERI EVM OMNES FERAS POSSIDERE, QVOD FALSVM EST.

Quum hic tantum loquar de sensu literali verborum in textu nostro obuiorum, paucis hunc locum tractabo. Nullius verbi in eo obuii sensus literalis dubius est, vnde non nisi hoc hic notandum, PAVLVVM, qui in antecedentibus verbis loquutus est de silua, addita determinatione: *circumsepta*, hic ea neglecta simpliciter de silua quam quis emit loqui. Secundum sensum litteralem itaque de omni silua, siue aperta, siue circumsepta cuiuscunque generis (§. XII.), intelligendus est. At, an idem valeat si quaeritur de legis mente, infra (§. XX.) definiendum erit.

## §. XVI.

*Resolutio textus logica.*

Ex haecenus dictis patet, thema textus esse doctrinam de possessione ferarum bestiarum & piscium, cuius sedes est. Continet verba duplicis generis, quorum priora a verbis: *Item feras bestias, vsque ad verba, a nobis non possideri*, theses ipsas in textu obuias sistant. Posteriora verba vero duplex argumentum, per quod PAVLVVS ex parte probat asserta sua, a verbis: *quoniam relictas sunt* etc. vsque ad finem, continent.

tinent. Theses duae, vel, si mauis, quatuor in prioribus verbis contentae sunt hae:

I. *Ferae bestiae quas viuariis incluserimus, & pisces quos in piscinas coniecerimus, a nobis possidentur.*

II. *Pisces qui in stagno sunt, aut ferae quae in siluis circumseptis vagantur, a nobis non possidentur.*

Quum ex antecedentibus de sensu literali harum propositionum abunde constet, non nisi hoc quoad eas hic moneo, PAVLVM doctrinam quam hic tractat non exhaurire, dum 1) de ferarum bestiarum possessione in aliis locis, quam in viuariis & siluis circumseptis subsistentibus; 2) de piscium, in alio aquae receptaculo, praeter piscinam & stagnum, viuentium, possessione nihil dixit. Ast, quis PAVLO vitio vertere potest, quod quaestiones Domitianas neglexerit! Progredior itaque ad argumenta quibus PAVLVS theses suas suffulcit. Primum argumentum quod concernit propositionis secundae secundum membrum, hoc est:

*Ferae quae in libertate naturali relictæ sunt a nobis non possidentur. Atqui ferae quae in siluis circumseptis vagantur in libertate naturali relictæ sunt. Ergo.*

Secundum argumentum itidem eo directum est, vt euincat veritatem membri secundi propositionis secundae & eo redit:

*Si verum esset ferae quae in siluis circumseptis vagantur a nobis possideri, sequeretur & eum qui siluam emit omnes feras possidere. At enim vero posterius falsum est, ergo etiam prius.*

Ceterum hic subsisto in textus analysi logica. An enim haec argumenta stringant? non hic, sed demum infra §. XX. determinata legis mente, diiudicari & vterius euosui potest. Vnde hic non nisi hoc addo, per se patere ex dictis, PAVLVM adiecisse quidem demonstrationem membri secundi propositionis secundae: ast primae propositionis, & membri primi secundae propositionis probationem, plane neglexisse.

## CAPVT III.

DE MENTE L. 3. §. 14. D. DE ACQ. VEL AMITT.  
POSSESSIONE.

## §. XVII.

*De mente legum in genere.*

Abolutis iis quae de sensu textus explicandi literaliter dicenda, progredior ad eius *mentem*, id est, eum sensum qui aliunde quam ex ipsis verbis colligi potest. Mens legis itaque non solum in eo consistit, an & quatenus a sensu literaliter legis recedendum sit, dum is vel extendendus, vel restringendus: sed & ea sub continet quae, argumentando ex principiis iuris in lege contentis, erui possunt. Vnde ad duo momenta redeunt quae nunc dicenda sunt, nimirum 1) an & quatenus haec vel illa textus verba extendenda vel restringenda sint; 2) quae veritates iuridicae, secundum verba in textu non contentae, argumentando ex principiis in eo contentis erui & deduci possint. Haec enim sunt quae plenam legis mentem absoluunt.

## §. XVIII.

*De extensiva interpretatione primae propositionis textus.*

Licet, dum PAVLVS in prima propositione quam textus continet asserit, feras bestias quas viuariis incluserimus, & pisces quos in piscinas coniecerimus, a nobis possideri (§. XVI.), hoc secundum sensum litteralem verborum *includerimus* & *coniecerimus*, non nisi de uno modorum, quibus fieri potest feras in nostris viuariis et pisces in nostris piscinis esse, dictum sit (§. X.), quum tamen dentur plures modi quibus fieri potest, pisces in nostris piscinis, & feras bestias in nostris viuariis esse (§. cit.): secundum mentem PAVLI tamen, ex rationis identitate, idem valet de omnibus feris in viuariis & omnibus piscibus in piscinis nostris subsistentibus, siue hoc, siue alio modo factum sit haec animalia in viuariis vel piscinis nostris esse. Secundum interpretationem logicam extensivam huius textus itaque generatim dicendum: *omnes feras bestias quae*

quae in viuariis nostris sunt, et omnes pisces qui in piscinis nostris sunt, siue ideo quod inclusimus vel coniecimus, siue alio modo in iis sunt, a nobis possideri.

§. XIX.

*De restrictiua interpretatione secundi membri propositionis  
secundae textus.*

Secundum sensum litteralem verborum siluae circumseptae, & ferae bestiae viuario inclusae in silua circumsepta sunt (§. XII). Ast tamen PAVLVS de feris bestiis in viuariis asserit a nobis possideri, de feris bestiis quae in siluis circumseptis vagantur vero idem negat, dum expressis verbis dicit eas a nobis non possideri (§. XVI). Manifestam itaque contradictionem noster textus continet, si siluam circumseptam in sensu literali hic accipimus. Quae quum ita sint, hic adest ratio specialis ex qua a sensu literali circumseptae siluae recedendum est, et talis restrictiua interpretatio admittenda, per quam tollitur haec contradictio Vid. §. 554. *Nouae introd. in iurispr. posit. Dn. PRAESIDIS.* At enim vero euanescit haec contradictio, si adsumimus PAVLVM hic non nisi de ea silua circumsepta loqui, quae viuarium non est, sicque de silua circumsepta primi generis in casu quo viuarium non est, & de silua circumsepta secundi generis, indeque haec restrictiua interpretatio pro vera habenda est. Porro idem etiam patet ex 1) PAVLI comparatione siluae circumseptae, non cum piscina, sed cum stagno, quod est receptaculum aquae in quo pisces ita sunt, vt quidem pro lubitu capi nequeant, ast nec pro lubitu euagari possunt quorsum volunt, multa tamen accidere possunt, ne a nobis capiantur (§. XI); 2) verbis subsequenter PAVLI, dum de feris in siluis circumseptis dicit, quod relictae sint in libertate naturali, quorum verborum sensus (§. XIII.) satis prodit PAVLVM talem siluam circumseptam in mente habuisse quae viuarium non est, sicque siluam circumseptam primi generis praeter viuarium, et siluam circumseptam secundi generis (§. XII). Ex his sufficientibus fundamentis itaque recedendum est a sensu literali siluae circumseptae, isque restringendus est

C

ad

ad siluam circumseptam quae viuarium non est, vt sic prodeat haec vera mens membri secundi propositionis secundae, quae sic breuissimis verbis, & tamen distincte satis, exprimi potest: *ferae bestiae quae in siluis circumseptis vagantur a nobis non possidentur, nisi silua circumseptae viuarium sit.*

## §. XX.

*De restrictiua interpretatione verborum textus quae continent secundam argumentum PAVLI quo vtitur, & de vtriusque argumenti vi probandi.*

Dum PAVLVS in verbis quae continent argumentum secundum quo ad stabiliendam suam thesin, quae est membrum secundum secundae propositionis, vtitur (§. XV. & XVI.) non nisi generatim siluae mentionem facit, quaeritur: *anne PAVLVS secundum legis mentem de silua circumseptae, & quidem tali quae non est viuarium, intelligendus sit, sicque praecedens determinatio: circumseptae, pro tacite repetita habenda sit?* Credo quod sic, nimirum verbum: *silua* generatim positum, restrictiue interpretandum, & ad siluam circumseptam talem, quae viuarium non est, restringendum esse. Verba textus: *alioquin etiam* &c. enim se non solum referunt ad proxima praecedentia verba de siluis circumseptis, dum rationem dictorum de possessione ferarum bestiarum, quae in iis vagantur, continent: sed et ad euitandam manifestam absurditatem ita restringenda sunt. Quis enim vnquam dixerit falsum esse cuiuslibet siluae emtorem feras in ea possidere? Si enim silua viuarium cum feris emtum est, quod feras in ea possideat emtor, omni caret dubio, nec in mentem venit PAVLO hoc negare. Ceterum ex his dictis simul patet stringere omnino argumentum PAVLI secundum (§. XVI.), quo vtitur ad euincendum veritatem asserti, feras quae in siluis circumseptis vagantur a nobis non possideri. Falsum enim omnino est emtorem siluae, licet circumseptae, ast talis quae viuarium non est, omnes feras possidere, dum nec sola emtio, nec accedens traditio siluae talis, hoc efficere possunt, et omnino si hoc falsum est, falsum etiam esse necesse est, eum qui dominus iam est siluae circumseptae quae

quae viuarium non est, feras quae in ea vagantur possidere. In vtroque casu enim ferae nondum captae sunt, & multa accidere possunt ne capi possint, sicque possessionem deficere necesse est. Sed & primum argumentum PAVLI (§. XVI) stringere nunc per se ita patet, vt vix opus sit de eo aliquid moneri. Ferae enim quae in siluis circumseptis, quae viuaria non sunt, vagantur, adhuc in libertate naturali sunt, quoniam nondum sunt captae (§. XIII.). Si vero captae nondum sunt, per notoria a nobis possideri dici nequit.

§. XXI.

*An ex nostro textu probari possit feras bestias in viuariis, & pisces in piscinis, esse in nostro dominio?*

Secundum sensum textus litteralem PAVLVS quidem determinauit, quid dicendum sit de possessione piscium in piscinis et ferarum in viuariis (§. XVI): at de dominio altum est silentium, si verba ipsa tantum inspicimus. Secundum legis mentem vero omnino ex ea probari potest, pisces in piscinis, & feras bestias in viuariis, a nobis non solum possideri, sed et in dominio nostro esse. Certissimum quidem est, argumentum a possessione ad dominium generatim non procedere. At, si rei nullius possessionem per capturam seu occupationem acquirimus, non potest non cum acquisita possessione simul dominium acquiri CUIACIUS *Observ. L. IV. Cap. 2.* Dum itaque secundum PAVLI verba in textu nostro obuia ferarum in viuariis, et piscium in piscinis, possessores sumus, secundum mentem eius simul pro dominis habendum sumus. Aliter vero sentiendum, si quis feras alienas viuariis includit, aut pisces alienos in piscinas coniecit, tum enim possidet quidem, at ideo dominium horum animalium nondum acquisiuit, vt recte iam obseruauit THEODORVS MARCILIVS *in notis ad §. 12. I. de R. D.* quae IO. VAN DE WATER adiecit suae editioni *Commentarii IANI A COSTA ad institutiones.* Lugd. Bat. 1719. Omnino itaque ex nostro textu argumento eius probari potest nos esse dominos ferarum in nostris viuariis, et piscium in nostris piscinis; nisi alienae ferae viuariis nostris inclusae, aut alieni pisces in nostras piscinas coniecti sint.

## §. XXII.

*Quid secundum nostrum textum de dominio piscium in stagnis,  
& ferarum in silvis circumseptis sentiendum sit?*

Licet PAVLVS quaestionem de possessione piscium in stagnis, & ferarum quae in silvis circumseptis vagantur, expressis verbis decidat: de dominio horum animalium tamen nihil dixit (§. XVI.). Exinde vero quod neget a nobis possideri, tuto colligi potest, *secundum mentem PAVLI multo minus pro rebus in dominio nostro existentibus haberi posse.* Horum animalium dominium enim aliter quam per occupationem acquiri nequit, l. 3. §. 1. D. De acq. rerum dominio. l. 55. eod. ad occupationem vero sufficere nequit, quod ne quidem ad acquirendam possessionem sufficit. Vnde omnino inde quod PAVLVS dicat, ad possessionis acquisitionem non sufficere pisces in stagnis nostris esse, & feras bestias in nostris silvis, licet circumseptis, aut talibus tamen quae viuarum non sunt (§. XIX.), vagari, fluit, nec hoc ad domini acquisitionem sufficere. Nec obstat consequens non esse, eum qui non est possessor non esse dominum, quum natura ferarum nondum captarum exigat dominum non esse qui non est possessor, ut recte iam monuit CVIACIVS *Observ. L. IV. Cap. 2.* Idem etiam inde patet quod PAVLVS expresse dicat feras in silvis circumseptis in libertate naturali adhuc relictas esse, feras vero in libertate naturali adhuc relictas esse, & tamen in dominio nostro iam esse, implicat. Caeterum GROTIUS *Lib. 2. cap. 8. §. 2.* hic dissentit a PAVLO & carpit eum ex iure naturae: aut HYBERVS *Digressionum Lib. IV. Cap. XVII. §. III.* PAVLVUM contra GROTIUM defendit, & praeterea secundum ius naturae de hac quaestione consulendi sunt PVFFENDORFIVS *I. N. & G. Lib. II. C. VI. §. II.* WOLFFIVS *P. II. Iur. Nat. §. 284.* L. B. ab ICKSTATT in *Diff. de eo quod iure naturali circa venationem iuris est §. 91.*

## §. XXIII.

*De venatione in silvis alienis et piscatione in stagno alieno  
ex mente nostri textus.*

Quum secundum nostrum textum ferarum in silvis quae viuarum non sunt, nec domini, nec possessores simus (§. XXII.), inde manifesto fluit,



fluit, quod & per expressa legum verba, veluti §. 12. *I. de R. D. L. 3.*  
 §. 1. *D. de A. R. D. L. 16. D. de seruitutibus praed. rust.* probari potest, in  
 tali aliena silua permissam esse *sec. I. R. venationem, nisi dominus ingres-*  
*sum prohibeat.* Idem etiam secundum principia huius textus de piscac-  
 tione in alieno stagno valere debet, dum secundum ea, nec pisces in sta-  
 gno a nobis possidentur, nec eorum domini sumus (§. XXII.). Vnde  
 CUIACIUS *Observ. Lib. IV. Obs. 2.* recte defendit, secundum *I. R. prout*  
*venari licet in aliena silua, ita et piscari licere in alieno lacu vel stagno, est*  
*tamen dominum ingressum prohibere posse.* DD. vero ad §. 12. *I. de R. D.*  
 quoad piscationem contrarium defendere solent, nimirum in alieno sta-  
 gno piscationem licitam non esse secundum *I. R.* Pluribus hanc contro-  
 versiam exponit TABOR in *criminalium definitionum racemationibus ad*  
*Art. CLXIX. C. C. C. §. 1 -- 6.* secundum *I. R.* & praesertim HVNNIVS  
*variarum resolutionum iuris ciuilibus L. II. Quaest. 13.* ex instituto contra CUI-  
 ACIUM disputat & defendit, non licere secundum *I. R.* piscari in alieno  
 lacu seu stagno. Audiamus itaque argumenta dissentientium, seu demon-  
 strationes eorum per quae veritatem sententiae suae euincere volunt. Pri-  
 ma est demonstratio *mere philosophica*, nimirum ex principiis iuris vni-  
 versalis seu naturalis hausta. Putant, pisces in lacu vel stagno non esse  
 res nullius, sed domini lacus seu stagni, dum sint pars & fructus aquae.  
 Prout itaque permissum non sit fructus ex alienis agris vel arboribus de-  
 cerpere, ita etiam permissum non esse in aliena aqua pisces capere seu  
 fructus aquae peculiare. Ita ratiocinantur HVNNIVS *l. c. 10.* FRID.  
 SAM. DE BOEHMER in *Medit. ad C. C. C. Art. CLXIX. §. 1.* aliique.  
 Ast cum leges romanae de quibus hic sermo est hac de re non sileant, in  
 quo casu demonstrationes philosophicae nullius momenti sunt, ut me docuit  
 DN. PRAESES in §. 49. *nouae Introduct. in iurispr. posit. Germ. communem,*  
 hic non curo quid fluat ex principiis iuris vniuersalis seu naturalis.  
 Progredior itaque ad dissentientium *demonstrationem mere textualem,*  
 quae desumta est ex *L. 13. §. fin. D. de iniuriis*, et, fateor, tanti  
 momenti esse videtur, ut parum absit, quin statim CUIACII castra de-  
 feram & dissentientium opinionem meam faciam. Sed salua res est.  
 VLPIANVS in hoc textu disputat de prohibitione piscationis ab altero

factae. Agit de piscatione in mari et litore maris, & dicit saepissime re-  
 scriptum esse, non posse quem prohiberi piscari in mari & litore maris.  
 Disputat porro de prohibitione piscationis ante aedes nostras seu practo-  
 rium nostrum, et addit, eam nullo iure fieri, quare si quis prohibeatur,  
 adhuc iniuriarum agi potest. Tandem in verbis finalibus textus progre-  
 ditur ad piscationem in lacu alieno, de qua dicit: in lacu tamen qui mei  
 domini est utique piscari aliquem prohibere possum. Per haec verba pa-  
 tere putant dissentientes non licere secundum I. R. in alieno lacu seu sta-  
 gno piscari. Ast fateor me nondum perspicere, cur haec verba aliter expli-  
 canda sint quam verba G A I I in L. 3. §. 1. D. de A. R. D. qui, dum de vena-  
 tione & aucupio loquitur: nec interest, inquit, quoad feras bestias et volucres,  
 utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno. Plane qui in alienum  
 fundum ingreditur venandi aucupandique gratia, potest a domino, si is  
 praeciderit iure prohiberi, ne ingrederetur. Haec verba ab omnibus,  
 quantum scio, ita interpretantur, capturam ferarum bestiarum & volu-  
 crium in alieno fundo licitam esse, licet dominus iure prohibere possit,  
 ne quis ingreditur fundum. Similiter itaque dicendum V L P I A N Y M  
 in L. 13. §. fin. D. de iniuriis nequitam capturam ipsam piscium in lacu  
 nostri domini pro illicita declarare, sed tantum domino indulgere quod  
 possit prohibere ne quis lacum suum ingreditur piscandi causa. Tandem  
 et mixta dissentientium demonstratio nullius momenti est, dum scilicet arg.  
 §. 12. I de R. D. et l. 3. §. 1. D. de A. R. D. suam thesin ita probant, ex eo  
 quod in his textibus nulla piscium mentio fiat, sed tantum volucrum et  
 ferarum bestiarum, sequi idem de piscibus non valere. Ast quis igno-  
 rat vnius positionem non esse alterius exclusionem. Potius dicendum &  
 ex dictis textibus, prout ex L. 3. §. 14. D. de acquir. vel. amit. poss. novam  
 demonstrationem mixtam pro mea sententia formari posse. Quum enim  
 nulla solida ratio allegari possit, cur argumentum a simili hic locum  
 habere nequeat, potius ita argumentandum est: prout ferae bestiae &  
 volucres ideo quod in nostro fundo sint, in nostro dominio non sunt, ita  
 & pisces in nostro stagno nostri non sunt. Omnino itaque argumento di-  
 storum textuum, ex quibus argumentantur dissentientes pro sua senten-  
 tia, potius contrarium euinci potest.

## §. XXIV.

*Applicatio principiorum nostri textus ad furtum piscium.*

Si secundum analogiam nostri textus de furto piscium iudicandum, facile patet inter pisces qui sunt vel in *piscinis*, vel in *stagnis & lacubus*, vel in *mari et fluminibus* distinguendum esse. Si *primum* ponis, inde, quod pisces in piscinis secundum *PAVLUM* a nobis possideantur (§. XVI), immo in nostro dominio sint (§. XXI), manifesto sequitur *dari horum piscium verum furtum*. Si ponis *secundum*, inde, quod secundum *PAVLUM* pisces qui in stagno nostro sunt a nobis non possideantur (§. XVI), nec sint in nostro dominio (§. XXII), contrarium fluit, *nimirum non dari proprium furtum horum piscium*. Quodsi vero *tertium* adsumis, non possum non quin secundum *PAVLI* principia defendam, *piscium in mari et fluminibus verum furtum committi non posse*, quum tales pisces a nobis possideri, & in nostro dominio esse, secundum *PAVLI* principia dici nequeat.

## §. XXV.

*De furto piscium secundum ius Germanicum.*

Liceat hac occasione de furto piscium secundum ius Germanicum pauca monere, quum sint Criminalistae qui defendunt *CAROLI V.* legislationem in *Art. CLXIX. C. C. C.* profluxisse ex *PAVLI* principiis in lege nostra stabilitis, eumque per *PAVLUM* deceptum esse statuunt, veluti *IO. FRID. SAM. DE BOEHMER* in *Meditationibus ad d. art. C. C. C.* Afferit hic magnus Criminalista *CAROLUM V.* in *d. Art.* distinguere inter pisces piscinis aliisque receptaculis inclusos, et in lacubus seu stagnis subsistentes, tumque, non secundum leges, sed de legibus, iudicando, hanc distinctionem censurae suae subiicit eamque reicit, & tandem in haec verba erumpit: *quocumque te veritas in promptu erit ratio sufficiens deserendi legislatorem, deceptum l. 3. §. 14. D. de acq. vel amitt. poss. in qua totidem verbis praesens distinctio reperitur, & ex mera subtilitate possessio piscium in stagno negatur.* Fateor mihi nec hunc, nec vllum alium interpretare.

terpretem *Art. CLXIX. C. C. C.* satisfacere, dum nemo eorum, ut plerumque fieri solet in commentariis iuridicis, ipsa textus verba satis ponderat & in verum eorum sensum inquirat. Vnicus TABOR l. c. §. 7. seqq. in quibus nunc disputat secundum Ius Carolinum de furto piscium, recta via incedit, licet ei in omnibus subscribere nequeam. Dicam paucis quod sentio in usum cathedrae, ut adsit materia disputandi, cum hic omnia exhaurire praesens institutum non permittat. I. CAROLVM V. distinguere tantum quoad furtum piscium, inter pisces piscinis aliisque receptaculis inclusos, et in lacubus seu stagnis subsistentes, nego. Defendo potius eum distinguere inter pisces in piscinis (*Weibern*); pisces in lacubus & stagnis (*Bebältnuß*), & pisces in aqua fluuiatili aliena seu in fluminibus alienis (*stießenden ungesungen Wasser das einem andern zustünde*). II. Miror interpretes in dicto articulo negligere & quasi pro non scripto habere verbum: *Bebältnuß*; dum, ut videtur, cum *Weibern* idem esse putant, quod mihi non videtur. In regula enim assumi nequit, superflua verba in legibus obuenire, inde diuersum significatum verborum *Weibern* & *Bebältnuß* adsumo, nimirum latius patere vocem *Bebältnuß*, quam *Weibern*, eamque haec receptacula piscium sub se continere. Dum itaque Imperator, postquam iam loquutus est de piscibus in *Weibern*, addit: *oder Behältnuß* nescio quid obstat, quo minus lacus & stagnum *Bebältnuß der Fische* appellari possint. III. Valde mirum me habet, verbum: *ungesungen*, quod Imperator tanquam ulteriorem determinationem aquae quam appellat *stießend*, addit, indeque dicit *stießenden ungesungen Wasser* fere negligi, eiusque sensum non determinari. Me iudice in interpretatione horum verborum, adiecta vox: *ungesungen*, quam maxime attendenda est, & sub verbis: *stießenden ungesungen Wasser* intelligenda est aqua ita fluens, ut cursum suum libere continuet, qualis aqua est aqua fluminis, non vero aqua in stagno aut lacu. Tandem IV. verba quae Imperator adiicit, dum loquitur von *stießenden ungesungen Wasser*, & haec sunt: *das einem andern zustünde*, non fortuito addita esse persuasus sum. Ast quem habent sensum? Forfan hunc, quod sub aqua: *das einem andern zustünde*, intelligenda sit aqua in qua alteri competit ius piscandi proprium, licet vulgo ita explicare soleant Imperatorem

tozem loqui de flumine priuato. Quaequum ita sint, non perspicio quo iure defendi possit CAROLVM V. esse deceptum l. 3. §. 14. D. de acq. vel amitt. possess. dum tam de ablatione piscium aus Weibern, quam aus Behältnissen, dicit: *ist auch ein Diebstahl gleich zu straffen.* Nulla etiam alia vestigia Iur. Rom. deprehendo in Art. CLXIX. C. C. C. immo ei contrarius est in eo, quod pro vero furto habeat ablationem piscium ex lacubus et stagnis. Ast Germanorum antiquorum moribus magis conformis est, dum in *Spec. Saxonico L. II. Art. XXIX* quoad piscationem tres casus a se inuicem distinguuntur. *Primus* est, si quis in eines anderen Mannes Wasser wilder Wage, id est, secundum glossam, Wasser so sich allein von dem Winde bewegt und nicht mit seinem Strome flusst, fischer. *Secundus*, da iemand in gegrabenen Teichen, & *tertius*, im Wasser so stromweise fließet, fischer. In primo & secundo casu poena statuta est in eos qui hoc modo piscaturam exercent, leuior in primo, grauior in casu secundo, cuius poenae grauioris in casu secundo haec ratio in glossa allegatur: *Dies ist darum daß bierauf Arbeit und Unkosten gewendet ist und die Fisch darinnen als in einen Helder gefangen und beschloffen sind.* In casu tertio vero piscatio cuilibet permissa est.

## §. XXVI.

*De piscibus & feris bestiis vendito fundo.*

Quum I. *pisces in piscinis & feræ in viuariis* ex mente PAULI in possessione & in dominio eius sint cuius est piscina vel viuarium (§. XVI. XXI.): videtur inde colligi posse pisces & feras bestias in piscinis et viuariis in fundo, vendito fundo sequi emtorem fundi. Ast, me iudice, nisi expresse ita conuentum sit, hoc admitti nequit, dum non omnia quae in fundo emto sunt, emtoris sunt. Vnde quoad pisces in piscinis claris verbis in l. 15. D. de act. emt. & vend. constitutum est: *pisces autem qui sunt in piscinis, non sunt aedium, nec fundi*, hincque emtorem non sequuntur, prout nec pulli aut cetera animalia quae in fundo sunt, eius sunt. Ast hac de re plura non addo, quum CRELLIUS l. c. §. 9. & 10.

D

mibi

mihî orium fecerit. Licet vero, quod atinet II. *pifces in lacubus & stagnis & feras in filuis*, l. 15. D. de A. E. V. huc trahi nequeat: secundum I. R. tamen, ex principiis eius in nostro textu contentis, fundo vendito, & cum eo filuis, lacubus & stagnis, pifces in lacubus & stagnis & feras bestias in filuis, fundi emtorem itidem non fequi exiftimo, quum a venditore nec poffideantur, nec fint in dominio eius (§. XVI. XXII.). Vnde quoad haec animalia tantum iuris confequitur emtor, quantum iuris habuit venditor. Quae quum ita fint, nec facio cum GOTHOFREDO in *notis ad l. 15. D. de act. emt. & vend.* nec doctrinae CVIACII in *Iulio Paulo*, quam occasione noftrae legis proponit, fimpliciter fubfcribere poffum. GOTHOFREDVS enim, cum MOLINAEO ab eo allegato, defendit pifces in stagnum coniectos non custodiae caufa, fed ad multiplicandum et reddendum fructum, fundo effe deftinatos, ficque effe partem fundi & cenferi inter immobilia, indeque ex hoc fundamento emtorem fundi fequi. Aft haec philofophia, philofophiae PAVLI, quae pro lege eft, contraria eft, indeque ducit ad naturalifmum iuridicum, cane peius ac angue fugiendum. CVIACIVS vero putat, licet pifces qui in lacu vel stagno funt non fequantur emtorem fundi, pifces tamen qui in pifcinis funt eum fequi: prout fimiliter de feris in filuis defendit, eas quidem non fequi emtorem fundi, aft feras in viuariis eum fequi. Ad ftabiliendam fuam fententiam, prouocat ad principium PAVLI quod pifces in pifcinis & ferae in viuariis a nobis poffideantur, inde vero hoc non fequi iam ab initio huius §. monui. Ad l. 15. D. de act. emt. vend. fibi manifefto obftantem vero CVIACIVS breuibus refponderet, in ea pifcinam accipiendam effe pro lacu vel stagno, prouocans ad GELLIUM *Lib. 2. Noct. Attic. cap. 20.* qui diftinguit inter lacus & stagna claufa & aperta, & claufa fuo & proprio nomine pifcinas appellari monet. Sit hac refponfione CVIACII contentus, qui eum veneratur tanquam falli nefcium ICTUM, mihî hanc refponfionem non fatisfacere ingenue fateor.

## §. XXVII.

*Conclusio huius capituli.*

Sufficiant & haec de legis nostrae mente. Possent ex principiis in ea contentis plures aliae veritates deduci: ast partim non sunt tanti momenti ut operae pretium esse existimem in iis eruendis tempus consumere, partim quemlibet telam ceptam, eo modo quo a me factum, facile continuare posse, confido.

## CAPUT IV.

DE VSV HODIERNO L. 3. §. 14. D. DE ACQ.  
VEL AMITT. POSS.

## §. XXVIII.

*Principium generale de usu hodierno huius legis.*

Supereft doctrina de usu hodierno l. 3. §. 14. D. de acq. vel amitt. poss. No vero L. B. diutius detineam, & ut paucis me expediam, totam hanc doctrinam comprehendo sub hoc principio generali: *Quicquid tam secundum legis nostrae sensum litteralem, quam eius mentem, in ea contentum est, id omne adhuc hodie in foris Germaniae obtinet; nisi quod* 1) piscatio in alieno stagno in Germania secundum I. Rom. principia (§. XXIV.) aestimari nequeat, sed pro vero furto habenda sit (§. XXV.); 2) fundo vendito pisces in lacubus & stagnis fundi secundum praxin eatenus sequantur fundi emptorem, ut, licet venditor possit, si circa tempus piscandi venditio facta, ante traditionem piscationem exercere, is tamen tot pisces in stagno relinquere debeat, quot ad multiplicandum requiruntur; 3) utrumque & de feris bestiis in silvis ita valeat, ut a) & venatio ferarum in silvis circumseptis quae viuarum non sunt, pro vero furto habenda sit; b) fundo vendito non liceat venditori ante traditionem per venationem extirpare feras. Applica principia generalia de legum Germanorum usu hodierno in DN. PRAESIDIS Novae Introduct. in iurispr. positivam Germanorum, communem

§. 488. seqq. explicata, et continētis eris de veritate *regulae & primae* limitationis eius. Quoad *secundam* limitationem vero evolvit DD. qui de praxi testari possunt, veluti RICHTERVM *Dec. 56. num. 9.*; MENCKENIVM *in Pandectis Lib. 19. Tit. 1. §. 10.* SCHILTERVM *Exercit. 30. §. 129.* HOMMELIVM *in Rapsodia Observ. CCCCXXXVIII.* sub voce: *Fische.* GRÖNEWEGEN *de legibus abrogatis ad L. 15. ff. de act. emt. & vend. nec non ad l. 3. §. 14. ff. de acq. vel amitt. poss.* quibus ob identitatem rationis addi possunt, qui, quoad separationem feudi ab allodio, determinant cuius sint in hac separatione pisces in stagnis & lacubus, veluti CARPZOVIUS *Jurispr. for. P. III. Const. XXXIII. Def. 26. & 27.* hisque inspectis, & de eius veritate nullum supererit dubium, quum huius generis veritates per DD. qui de praxi testari possunt testimonia probari possint & debeant. §. 49. *Nouae Intr. in iurispr. posit. DN. PRAESIDIS.* Quoad *tertiā* limitationem analogiam iuris in subsidium voca, mediante argumento a simili, a piscibus in stagnis & lacubus, quoad furtum ad venationem in silvis circumseptis quae viuaria non sunt, & quoad piscationem fundo vendito, ad quaecunque venationem, concludendo, tumque nec de eius veritate dubitabis; praesertim si & hic conferre placet LVDEWIGIVM *in differentiis I. R. & G. de ferarum furto Differ. 1. & WILDVOGELIVM de furtis impropriis Cap. III. §. 3.* Quum itaque hoc principium generale totam doctrinam de usu hodierno *l. 3. §. 14. D. de acq. l. amitt. poss.* sub se comprehendat, & quoad eius probationem sufficiat me viam ad eam formandam indicasse, hic subsisto.





PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CAROLVS CHRISTIANVS KRAETZIG

S I L E S I V S

O P P O N E N S.

*Gratissimo animo prouinciam gerendam, quam hodierno die ex amicitia, qua iungimur, beneuole mihi demandare voluisti, suscipio, quamuis imbecillitatem virium mearum satis perspectam habeam. Certe nihil incundius mihi contingere potuisset, quam ut, optata occasione Tuos in iurisprudencia profectus valde egregios admirare & pro singulari beneuolentia, quam semper expertus fui, gratias quas possum maximas agere, facultas mihi detur. Hanc ob causam meum esse iudico, Tibi ex sincero animo gratulari, quod sub faustissimis PERILLVSTRIS NETTELBLADTII auspiciis, felicissimas ingenii Tui dotes eleganter excolueris, de quibus satis testatur praesens quod edis specimen. Tibi, Patriae, Parentibusque Tuis ex animo gratulor & nil magis opto, quam ut summum Nunen faueat rebus Tuis. Vota mea de Tua sempiterna salute & incolumitate sane sunt ardentissima. Ceterum rogo, ut me eadem beneuolentia & amicitia etiam in posterum dignum existimes. Vale, meque amare perge. Dabam Halae d. XIII. Dec. c. l. o. l. o. c. c. l. x. x. i. v.*

VIRO

OMNIBUS VIRO PRAENOBILISSIMO  
CANDIDATO DOCTISSIMO  
AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

F. L. C. FREYER

OPPONENS.


*Ex quo Tua usus sum familiaritate, tam ingenio quam eruditione Te longe mihi superiorem esse, satis iam perspexi. Impari vero quomodo in mentem venire potuit, Tecum in certamen descendere? Humanitati hoc debeo Tuae, quod non tam virium mearum, quam amicitiae, quae inter nos intercessit, potius habita ratione, hanc mihi prouinciam demandaueris; eoque maiores ideo Tibi ago gratias, quod huius honoris expertem me sinere nolueris, praesertim cum haud desuerint me praestantiores, quibus publice Tecum disputare gratissimum fuisset & quos vicisse Te magis decuisset. Ego vero haud ignarus quocum mihi res sit, nondum inito certamine victas Tibi do manus, cum disputationis Tuae praecipuus finis sit profectuum Tuorum certe haud exiguorum publicum edere specimen. De quo ut maximo afficior gaudio, ita ex animo gratulor Tibi, amice aestumatissime, quod nunc in eo sis, ut patrios reuersus ad lares eos fructus percipias, quibus lucubrationes academicae Te dignum reddiderunt. Accipe vota mea certe sincera, quibus fausta quaeuis Tibi apprecatur Tui studiosissimus, & vnici huius voti compotem me facias velim: absens ne sis immemor Tui amantissimi. Dabam Halae d. XIII. Dec. cl̄o l̄occl̄xxiv.*



Halle, Diss., 1773-74

X 230 9444





1774 3<sup>a</sup>

16

DE  
VERO SENSU

L. 3. §. 14. D.

DE ACQ. VEL AMITT. POSSESSIONE

SVB PRAESIDIO

DANIELIS NETTELBLADT

POT. BOR. REGI A CONS. INTIM.


ET PROF. IVRIS ORDINARIJ

DIE DECEMBR. MDCCLXXIV

DISPVTABIT

FRIDERICVS SAMVEL ZORN

SILESIVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE

STANNO GRVNERTIANO.

